



# The Holy See

---

BENEDICTVS XVI

*EPISTULA DATA*

*FRANCISCO XAVERIO S.R.E. CARDINALI ERRÁZURIZ OSSA, ARCHIEPISCOPO  
METROPOLITAE SANCTI IACOBI IN CHILE  
NOMINATO MISSO EXTRAORDINARIO  
AD CELEBRANDUM CENTENARIAM MEMORIAM  
AB CATAMARCENSIS DIOECESIS CONDITA*

*Venerabili Fratri Nostro*

*Francisco Xaverio S.R.E. Cardinali Errázuriz Ossa*

*Achiepiscopo Metropolitae Sancti Iacobi in Chile*

Centenaria iam appetit memoria ex quo tempore Catamarcensis dioecesis in Argentina Natione saluberrimo Decessoris Nostri S. Pii X de consilio est condita. Ibidem Dominae Nostrae del Valle exstat sanctuarium, ad quod fideles confluere solent, caelestem Matrem veneraturi ac superna praesidia fidenter petituri.

Admodum ideo aequum est et convenit ut eventus hic congruenter commemoretur et optimo iure extollatur. Celebratio enim haec copiam dat et facultatem non huius rei dumtaxat memoriam repetendi, verum homines ad ferventiorum religionis sensum, firmorem fidem certioraque proposita, antiquis illis instantibus probandis documentis, permovendi.

Ipsò igitur miserenti favente Domino, mensis Augusti die vero XXI, recoletur saecularis haec memoria, frequenti adstantium civium corona, cum huius Ecclesiae primordia revocabuntur ac superiora pietatis testimonia.

Quocirca cum Venerabilis Frater Aloisius Urbanč, Episcopus Catamarcensis, rogavisset ut Purpuratum Patrem mitteremus, huic postulationi obsecundandum iudicavimus, quo ritus ille elatius et luculentius explicaretur. Ad te ideo, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus,

qui idoneus occurris ut eventui illi intersis personamque inibi nostram geras. Itaque permagna moti affectione, te, Venerabilis Frater Noster, Missum Extraordinarium nostrum renuntiamus et constituimus ad celebrationem quam supra diximus agendam.

Universis igitur participibus fidelibusque inibi cunctis voluntatem nostram benignam ostendes, ac pariter cohortationem ad pristinam illam pietatem repetendam tenendamque, Ecclesiae Matre opem affatim ferente. Omnibus nostro nomine auctoritateque Benedictionem Apostolicam impertias volumus, quae sit animorum renovationis signum et futuro de tempore supernarum gratiarum documentum.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XXIX mensis Iunii, in SS. Petri et Pauli Apostolorum sollemnitate, anno MMX, Pontificatus Nostri sexto.*

BENEDICTUS PP. XVI

© Copyright 2010 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana